



10
1.
3.
4
5
6
7a
10
1



1687.

1. Ethmüller, Johannes Jacobus: De tutore creditore vel debitore minoris
2. Hintze, Gregorius: De successione clausi cante seu jure successionum non reciprocis inter parentes et liberos ex testamento et ab intestato
3. Klinger, Johann: De rate vulgo Die Steuer
4. Gramerus, Johannes Philippus: Circulare de Flav. Papirio . . . exponit
5. Scheffel, Johann Adam: De jure per accideos
 computante
6. Spryge, Felix: De jure tri et jure
 Publ. Imp. tit. II: de jure naturali gentium et civ. 1688.
7. Spryge, Felix: Clericus venator 2. Geoph.

1688.

1. Colerus, Erneschtus: De unione ecclesiarum potissimum protestantium.

2. Festerling, Martinus Lathem : De inquirendis ex negotia
actione 168
- 3^a Feuden, Gerhard, von : De remissionis juris prae-
forum. 1. 168
4. Felzer, Christoph Magister : De testamentis imperfecto 2. 168
- 5^a Liucke, Henricus : De impetratione officiorum
per matrimonium. 3. 168
6. Maller, Don. Guil : De Actio Lamprozio.
7. Nickerker, Joh. Conrad : De jure Caerquarum 49
8. Pompey, Nic. Andreas : De caritate juris ge-
lium 46
- 9^a Prunsterer, Georgius : De relogio tome 2 Simpl. 5.
10. Rockenbach, Polycarpus Michael : De vi et officio
juramenti promissorii et confirmationis
11. Wagenselmer, Joh. Christoph : De monialibus

1689.

1. Büchel, Johannes Andreas : De prima instantia
camerae quoad personas.

2. Büchel, Johann Friedrich : De relationibus ju-
vicum superioribus factis

3. Hoffmann, Joh. Maurus : De quotu atque oupe-
vimentis et observationibus novissimis circa
illum habitis

4^{9^{to}} Lincke, Henricus : De rubro nigro et albo

4^{6^{to}} Moller, Dan. Guib. : De Tub. Pullione

5. Pothius, Joh. Phil et Pothius, Phil Ludovicus :

Insectator inuag anticorum. Debita quaedam
jura circa notoriam.



7

Fonte Salutis Dirigente!
DISPUTATIONUM CIRCULARIUM
TERTIA,
quâ
INSTITUTIONUM IMPERIALIUM
TITULUM SECUNDUM,
De
JURE NATURALI
GENTIUM ET CIVILI
Lectiõibus publicis dilucidatum,

*uberiori disquisitioni,
unâ cum specilegio quodam juxta illum,*

Moderante
FELICE Spißen / D.
earundem Prof. Publ. suâq; Facultatis
h. t. DECANO,

RESPONDENS
exhibet
JOHANNES GEORGIUS FABRICIUS,
Ohrdruvio-Thuringus.

Ad d. 18. Jan. Anno MDC LXXXIIX.


ALTDORFI,
Literis HENRICI MEYERI,
Univ. Typogr.



Fonte Salutis Dirigentes
DISPUTATIONUM CIRCULARIUM
PARTIA
INSTITUTIONUM IMPERIALIUM
TITULUM SECUNDUM
DE
IURE NATURALI
GENITIVUM ET CIVILI
Legionibus publicis dilucidatum
FELICE SPISBERG D.
curandam Fac. Publ. Juris Facultatis
h. c. BEGANO.
RESPONDENS
JOHANNES GEORGIUS FABRICIUS
Christivo-Thuringus.
M. d. c. lxxix. Anno M. DC. LXXIX.

ALTDORF
LITH. HENRICI MEYERL.
VIA...





C. D.

Ad princ. verba: *Jus naturale est,*
quod natura omnia animalia docuit.

I.

1. **H**Æc definitio, quàm abundè suos passa sit manes, vix fugit quempiam. Quotus enim quisq; præterlabens, non substitit, ut vellicaret, ut flagellaret? Verum omnium horum insigniter patiens fata sua supergressa, suo adhuc immota perstat loco, Imperialis splendore auctoritatis coruscans. Nos prætergredientes quoque illam sumus hâc vice consideraturi: Non tamen ut sollicitemus aut sugillemus, sed intuituri veluti sinceram & ἀμωμον. Idq; brevibus:

2. Jus (*Jussionem Legem*) revera esse, quod animalibus tribuit Ulpianus, *Stoicæ factionis Sapiens nobilissimus, tantæq; existimationis, ut non solum Alexandro Principi tutor electus. Zosim. Lib. 1. sed & ad Summi Patriciatus dignitatem evedtus, βασιλοπαίτηρ* (ceu ornare solitus est Comites & Consiliarios Principis Leo apud Zonaram & Cedrenum) amici l. secundum. 4. C. de contrah. stipul. Item Parentis Imperatoris l. ex Divi. 4. C. Locati. honorificentissimum nomen gesserit, merueritve. Vid. *Ælius Lnmprid. in vita Alexandri cap. 15. 26. 34. 67. 68. &c. Confer. §. filiusfam. 4. Inst. Quib. mod. J. p. p. solv. l. 17. ff. de Jur. Patron. Xiphil. in Neron. Jul. Capitolin. in vita Gordiani, cap. 27. in fin. Genes. 45. vers. 8. Cujac. in vita Julian. Lindenman. Exercit. ad Inst. Tit. Quib. mod. J. p. p. solv. §. 7. vid. Suidam in πατεριμ*. Manifestum evadit (1) à causa Effectrice, quæ est Natura, i. e. Deus ipse. Hæc enim laudatis Philosophis sunt unum. Deus autem, num hominum solum-



modò curam suscepit, ut illorundem actus regulâ directri-
ce duntaxat gubernarentur? Profectò & quæ à brutis fiunt,
à Deo regulari consentaneum est. vid. omnino Cicero *lib. 2. de Nat. Deorum. citatus etiam Hottomanno h.* Ergo veluti rati-
oni humanæ certam immotamq; justorum & injustorum
notitiam indidit, ad quam, ceu lydium lapidem, confer-
rent actiones suas: Pari modo brutis etiam regulam inse-
vit, secundum cujus rigorem moverentur.

3. Habemus itaq; post causam efficientem & (2) Sub-
jectum juris naturalis, quod est, Regulæ divinæ; puta
Creaturas ad obedientiam creatoris & domini sui conditas,
quæ omninò legem sibi a Deo insitam egredi non possunt
aut debent, sed eâdem ducantur & regantur, oportet.

4. Finem tandem (3) quod attinet, ille vel primus est,
vel intermedius, vel ultimus. Primus est bonum ipsorum
brutorum atque conservatio, quò à lege naturæ impellun-
tur & feruntur. Intermedius consistit in hominum com-
modo; Quis enim & hoc ita ordinatum esse divinitus, ne-
gare aufit? Ultimus deniq; est altissimi opificis honor &
gloria. Quid quæso sapientissimæ legis nomen merebit,
si hoc non mereri inquires?

5. Hoc autem Jus ita in genere delineatum dispescit
Ulpianus in suas certas species; Ut illud statuatur univer-
sale seu commune omnium penitus animantium; al-
terum verò animalibus rationis prærogativa pollutibus,
conveniens & proprium, exindeq; Jus naturæ Populorum
seu Gentium dictum §. 1. *vers. quod verò naturalis & c. h. r.*
§. 2. *Jus autem Gentium & c. eod. l. 1. §. 3. & 4. ff. de Just. & Jur.*
Hinc idem naturale absolutè quoque appellatur, quia est
naturale, sed humanum seu humanæ naturæ §. *feræ. 12. Inst.*
de R. D. & l. 1. ff. eod. Confer *Celeberrimum hujus ætatis Jctum*
Ziglerum in Notis ad Grot. lib. 1. cap. 1. §. 10. A quò tota specie
distat illud Jus Gentium, de quo *Grot. in Prolegom. quod vo-*
lun-

Iuramentum seu positivum velut, propriè nihil aliud est, quam civile latius patens, & per plures respublicas sese dispergens.

6. Est autem ista Juris naturalis in commune & proprium distributio arcesita à Subjecto Cui: Cum in causis Efficiente & finali coincident: ut adeoque satis adpareat, Jus brutorum non minùs Juris nomine dignum esse, quam hominum, licet hoc separatam constituat speciem; Sed & divinum non minùs meretur dici, quam illud humanæ naturæ proprium, ab auctore nimirum ipsomet Deo. vid. Ludolph. Schrader. *Commentar. h. ad pr. n. 2. & 4.* Insigniter hoc confirmat Vacon. à Vacuna *lib. 1. declarat. Juris Civil. 1. n. 2. 3.* scribens: *Jus naturale est bonum quoddam à natura i. e. Deo ordinatum ac tributum conveniens conducensq; natura cujuslibet animalis: sicut Jus Gentium est bonum ordinatum & consentaneum omnibus Gentibus. Et n. 6. Jus naturale est quod natura docuit omnia animalia, natura scil. increata, i. e. ipse intellectus increatus, qui dat unicuiq; animalium inclinationem appetendi bonum naturæ cujusq; conveniens, atq; id fugiendi, quod cuiq; noxium videtur; seu est bonum naturale, ad quod omnia animantia à natura moventur.*

7. Utuntur & Angeli Jure naturæ cum hominibus communi, tametsi ipsis etiam sit suum peculiare. Non enim iisdem v. g. scripta est lex temperantiæ in ciborū usurpatione, nec circa motus corporum, aliave quæ hominibus ob conjuncti corporis conditionem peculiaritèr conveniunt, quale quoq; est matrimonii castum temperamentum, & fides in eo. In aliis verò, non minus Jure naturæ gubernantur, ita, (veluti cum sanctitatem, Justitiam & similes virtutes exercent) ut contemplatione causæ efficientis, unum idemque Jus sit, ob diversitatis verò objectivæ partim, partim subjectivæ immensam varietatem, probè ab aliis speciebus fecernendum, quemadmodum subjecta ipsa à se invicem hoc nomine segregari cautè oportebit; siqui-

dem & illud disparitatem ingentem inducit inter homines & Angelos, quod hi in bonitatis perfectione firmissimè stantes legem naturæ nunquam transgrediantur.

8. Utuntur itaq; bruta Jure naturali circa actus illis pro naturæ suæ capacitate & qualitate possibiles atq; convenientes. Aliter homines, Spiritus & Angeli deniq; aliter. Nam minus rectè tota Juris hujus amplitudo soli rationis humanæ circulo includitur, quæ non nisi unicum speciem exprimit, universum autem genus exhaurit nequaquam. Nimis arcta & imbecillis est illa collectio: non ex ratione aut judicio agitur. Ergo non ex lege, jussu, impositione aut regula agitur. Jus naturæ tam latè patet, quam ipsius Creatoris Imperium & potestas sese extendit, in omnes nimirum creaturas, ita ut nihil aliud sit, quam auctoris, hoc est, conditoris & domini naturæ lex seu jussio, creaturis ad obedientiam lata & indita. Confer. *Matth. 8. vers. 26. 27. Ps. 148. per tot. & in primis vers. 6. 7. 8.* præclarè iterum *Vacon. à Vacuna d. l. n. 8. seqq.* Add. adcuratissimè quoque hæc discernentem & consentientem *Strauchium Dissert. Justin. 1. aph. 4.* Quò etiam inclinat *Marc. Anton. de Dominis Lib. 6. de republica Ecclesiast. cap. 2. §. 25.* ubi scribit: *Jus vero Gentium in Digestis explicatur, quò Gentes humanae utuntur, & reverà idem est, quod Jus natura humanum. Nam Jus natura simpliciter ponitur in animalibus.* Quidni enim homo cum animantibus Jure vivat eodem quoad corpus & actus planè naturales seu physicos, quum ista cum illis habeat communia, & ad quorum conservationem atque interitum etiam ut plurimum ambo conveniunt, teste ipso Regum sapientissimo *Ecclesiast. cap. 3. vers. 18. 19.*

9. Quoad animam vero cum infinito propè intervallo distet à brutorum naturâ & conditione, dum quoad illam virtutes exercere tantummodo par est, omninò fuit necesse ut Jus ipsi quoq; aliquod esset seorsim, huicq; parti, quæ
& di-

& divina prorsus est, suaq; bona coelestem auram spirantia peculialiter habet, & separatim aliquando existere agereq; potest, singulare atque congruens.

10. Atque in hoc sobriores Gentium Philosophi nobis adstipulantur; Cicero enim *Libro 1. Offic.* egregie hoc Jus commune à proprio separat, inquit: *Sic est faciendum, ut contra universam naturam nihil contendamus, & eam tamen conservatam, propriam sequamur.* Sic Demosthenes *Orat. 1. ad Arist.* *Parentes colere, est lex Naturae, & hominibus & bestiis posita, & Plutarchus in vita Camilli.* *Lex est Naturae, cujus & bestia sunt participes.* Idem senserunt Cleanthes, Diogenes, Chrysippus, quorum testimonia verbotenus recensere super sedemus. vid. Laertius in *Zenone.*

11. Ab his tam perspicuae veritatis principiis, ut divertamur hautquaquam sufficientium virium arbitramur objectamenta aliqua, inter quae praecipui valoris putantur: (1) Quod Jus Naturale sit recta ratio, juxta *Cicer. Lib. 1. de Leg.* cujus bruta sunt expertia, quod idem Tullius *de offic. c. 20.* exponit, discernens legem à brutis, in huc sensum *Duplex est vis animorum atq; naturae. Una pars in appetitu posita est, quae est Graece ὀρεξις, quae hominem huc & illuc rapit: altera in ratione, quae docet & explanat, quid faciendum fugiendumve sit, ita fit, ut ratio praesit, appetitus obtemperet; Nizol. voc. Ratio. Add. c. 35. 73. 154.* *Hesiod. oper. & dies. carm. 275. de Nat. Deor.* (2) Quod inter eos solummodo jus detur, qui societatis vinculo junguntur, brutis autem cum hominibus nullam intercedere communionem. (3) Objectio petitur ex *l. 1. §. 1. Si quadrupes l. 5. §. & ideo. 2. ad L. Aquil. can. 4. caus. 15. q. 1. l. 2. ff. de Leg. Dissent. Hottomann. h. t. pr. contrariam sententiam his verbis concludens: Quod si ea, quae nobis cum brutis communia sunt, juris nomine complectantur, Jus esset, cibum capere, bibere, dormire, currere, quiescere, & quae sunt in eodem genere. Ad quae Alberic. Gentil. in disput. ad l. 1. ff. de Const. princ. ait: Atq;*

Atq; ego hisjocis alibi respondi: Nim. 3. Lect. 1. Nos videbimus de his in discursibus cathedræ.

12. Nequaquam tamen calculum adjicimus Guil. Alverno qui belluarum justitiam & jus peculiari conatu defensum ivit; nec Hieronym. Rorario animantibus majorem rationis vim attribuere, quàm hominibus, auso, licet Tullii auctoritate sustineri videri queant: Lib. 3. de Nat. Deor. cap. 21. scribentis: *In formica non modo sensus, sed etiam mens, memoria.* Nam quo pacto illud intellectum cupiat, ipse postea interpret est, cap. 66. ejusdem libri; Sed nec Aristoteli displicuisse collegerit quis ex lib. 8. *Histor. Anim. cap. 1.* ubi scribit: *Καὶ γὰρ ἡμερότης, καὶ ἀγροότης, καὶ χαλεπότης, καὶ ἀνδρεία, καὶ δειλία, καὶ φόβος, καὶ τάρσος, καὶ θυμὸς, καὶ πανουργία, καὶ ἄπειρα τῆν Διάνοιαν συνέσεως ἐνεῖσιν, ἐν πολλοῖς αὐτῶν ὁμοιότητες,* quod & repetit alibi. Rhodiginus quoque lib. 20. cap. 8. inter animantes memoriæ facultate præditas retulit apes & columbas, quas alii à castitatis observantia plurimum commendant, cum illæ præsertim non facillè ferant, qui stuprum nuper fecerit. Hinc Columella svasor est apes tractanti œconomo, ut castus sit à Veneris opere, ubi ab illis mella petiturus, vel alia ratione tractaturus eas accedere voluerit. Consentit Plutarch. lib. 36. *de caus. natural.* Confer. Mey. in *Prodrom. Jurisp. Gent. Discept. 2. §. 3.*

II.

Ad §. 6.

1. Quod principi placuit legis habet vigorem. Puta, si (1) Justitia & honestate sese commendet. *Can. consuetudo 5. dist. 1. can. 2. dist. 4.* vid. Petr. Faber. *in l. non omne. 144. de R. J. Franc. de Amaya 1. obser. 1. n. 2.* quò pertinet eximia Theodorici apud Cassiodorum vox; *Cum omnia possimus, sola nobis credimus licere laudanda.* Et (2) eò animo fiat, ut legis modo subditos vinculet. *Gloss. h. Alber. Gentil. ad l. 1. de Const. Princip.*

Princip. Gerh. Feltmann. *Comment. ad l. 1. ff. h. t.* Hinc ma-
 lè Achabo judæorum Regi placebat vinea Nabothi, nec
 lex merebatur dici, licet fraudulenta & Tyrannica occu-
 patione effectum sortiebatur *1. Reg. cap. pen.* Ex orco natum
 illud Juliæ Caracallæ responsum: *Si libet licet, an nescis te*
Imperatorem esse, & leges dare non accipere. vid. *Connan. 1. Com-*
mentar. cap. 16. n. 9. *Corras. Miscell. 2. cap. 25. n. 1.* Petr. Gre-
 gorius *de Republ. lib. 1. cap. 8.*

2. Princeps est, juxta sensum §. nostri, in quem populus
 omne imperium suum & potestatem concessit, ὁ πὸ κράτῳ
 τῆ ἀρχῆν ὡς τῆ θύμῃ λαβὼν, ut Theophilus reddidit. Hanc
 potestatis imperialis transcriptionem paragraphus noster
 cum Ulpian. *in l. 1. ff. de Const. Princ.* attribuit Legi Regiæ.
 Theophilus iterum, ὁ γὰρ δῆμῳ τῶν ἐχειροτόνησε νόμῳ βασιλῆος
 τῶν κυρώσαντι, ὅς ὡς βασιλείας πρὸς πᾶσαν βασιλείῃ δέδωκε
 κατὰ τῆ δῆμῳ πλὴν ἐξουσίαν. Nihil jam, ne actum agamus, atti-
 net dicere de origine, occasione, appellatione, de existentia
 item & potestate hujus Legis Regiæ: Exhibet ista omnia
 adcuratâ, uti ob omnifariam præclarissimarum scientia-
 rum notitiam solet, disquisitione, Excellentissimus HAM-
 MERUS, Senior, Collegii nostri venerandus, *in Dissertat. Cir-*
culari ad Inst. VII. th. 14. Illud saltem, quod & subtilissimus
 Strauch. *in Dissert. de princip. Constit. circa init.* monet, silen-
 tio transmittere hoc loco non licuit, hujusmodi cessionem,
 translationem seu abdicationem, si, ut vulgò fit, de imme-
 diata supremæ Majestaticæq; potestatis delatione, exaudia-
 tur, populo ex verò & propriè non esse adscribendam.
 Præterquam enim quod historiæ temporum istorum non
 respondeat, cum naturalis diviniq; juris præceptis & prin-
 cipiis pugnat: cujus fusioem deductionem ex genuinis fon-
 tibus reservamus alii occasione, & fortassis σὺν θεῷ pro-
 pediem futuræ.

B

3. Le-

3. Leges quas princeps pro summa potestate varii generis in republica condit, generali voce constitutiones appellantur, quasi propositiones publicæ, ordinationes, sanctiones atque decreta: Item Constituta in l. 5. C. de paganis, & passim. Græcè *Νατιζεις* ἢ *Νατιπώσεις* Theoph. h. Invenias & græcanizatum (in Græcum translatum) *Νατιπώσιον* Theoph. *ibid.* Alibi Statuta §. 1. *Inst. de vi bon. rapt.* Decrescente Latinitatis ætate Capitulorum vel capitularium nomen sortitæ sunt Divales hæ constitutiones, uti vocantur, d. §. 1. quod certis capitulis distincta atque inclusa sint, vid. l. 4. C. *Theodos. de falsis monet.* & *Can. volumus 26. caus. 11. q. 1.* qualia cum aliis Antiquorum Regum Legibus & Constitutionibus exhibet Codex Frid. Lindenbrogii. Germanicorum Impp. collegit Goldastus. De capitulorum voce adeas Carolum du Fresne in *Glossario Scriptor. mediæ & infimæ Latinitat.* Mauriti Disput. de *Recess. Imper. th. 5.* Composuit quoque olim Ansegibus, Abbas Lobienfis, quorundam Regum & Imperatorum, sui præprimis temporis, hujusmodi capitula, eademque in quatuor Libellos, suo quodam certo ordine, distinxit. Primus Leges Caroli Magni ad statum & ordinem Ecclesiasticum pertinentes per capita 162. complectitur. In altero Ludovici Pii & Lotharii, ejus filii, de eadem re Ecclesiastica, capitulis 46. proponuntur. Tertius exhibet laudati Caroli Magni Ordinationes rerum secularium seu civilium 90. capitulis constantes. Ultimus complectitur Ludovici Pii & Lotharii capitula 20. itidem rerum terrenarum sanctiones. Carol. Molinæ. in *Comment. ad Edict. Henric. II. G. R. contra parvas datas, & abusum C. R. præfat.*

4. Quæ in Imperio hodiè latæ sunt leges, Recessus Imperii, oder *Reichs-Abschiede*, vel des *Reysers und gemeiner Stände* / vocantur. Quæ vox procul dubio rei exponendæ non adeo congrua est, atq; hoc nomine non immerito barbarismi

rismi insimulatur post Goldast. & Limnæum Mauritio *d.l.*
 Originem quod attinet, illa est in incerto, quemadmodum
 nec de appellationis ratione indubiè constat. Hinc qui-
 dam, quod sint instar secretorum animorum, ita dictos au-
 tumant. Alii, quod sint cogitationes reconditæ Impera-
 toris & Statuum, vel quod per eas, à variis disensionibus
 recedatur, vel quod sub ipsum recessum (*discessum*) con-
 stituantur, & promulgentur; Aliquibus per jocum *re-*
cessus nuncupari asserere placuit, quod plerique *recedant*
 ab eorùm observatione. *Tab. Racem. Crim. p. 439. Mauri-*
dict. loc.

5. Ceterum Principes aliq; Romano-Germanicæ Rei-
 publicæ Ordines, Status & Proceres, quorum feudis Im-
 perii dignitas connexa est, legislatoriam potestatem etiam
 habent, veruntamen non *αὐτοκρατορικῶς*, est enim illa dun-
 taxat dependens atque subordinata. Unde in Statutis &
 ordinationibus suis localibus eò respicere necesse habent,
 ne quidquam contra communes Imperii sanctiones con-
 stituatur. Nam in Ecclesiasticis, Pacificationem religio-
 sam & transactionem Osnabrugensem: in civilibus autem
 Recessus Imperii observare tenentur, *argum. princip. & sub-*
script. singulorum Recess. Imper. Dissent. cum aliis Petr. Anton.
de Petra tractat. de potestate princip. & Jure quasito non tollendo
per eum. cap. 6. n. 74. Pruckm. Consil. 13. n. 82. & 83. Gail. de Ar-
rest. c. 9. Limnæus de Jure publico Lib. 8. n. 2. 3. Nec contra-
riatur hoc nostrum assertum Ordinationi Cameral. part. 1.
tit. 57. Quod si in Recessibus quid in tactum sit relictum,
aut casus emergat, super quo nihil in illis dispositum repe-
ritur, eundem pro lubitu, ex æquitatis tam en norma, de-
cidere non sunt prohibiti argum. dict. tit. 57. vid. tamen
Petr. Heig. part. 1. quest. 4. n. 35. seqq.

III.

Ad §. 9.

I. Jus Civile Romanum, quoad nos, si præsertim initia reductionis ejus respicias, non scripti seu consuetudinarii species potius est, quam scripti. Non enim doceri potest, quod tùm aliquando in Germania fuerit promulgatum, sed non nisi per tacitam quandam approbationem sensim receptum est. Hinc Legibus Germanorum quoad observantiam præferendum non est. Atq; hoc sensu rectissime se habent, quæ scribit Lindenbrog. *in prolegom. Codicis LL. Antiquar.* ad finem ferè: *Adeò magnum Jus Romanum ab illo tempore naufragium fecit, quippe quod saltem Germanis & ab iis oriundis propter rationem æquitatis discere, non autem propter robur sanctionum in foro laudare permissum fuit. vid. Leges Wigothor. Lib. 2. tit. 1. & paulo post: Idcirco, pergit, verissime concludo, Leges hæc, quatenus id ratio svadeat, & tempora permittant, non tantum apud Germanos in foro utiliter proferrì, sed juri quoq; Romano pro Statu Provinciarum rectè præferrì posse. Nec fide aliqua historica sese satis commendat, vulgaris illa traditio de Juris Romani confirmatione Lotharii Imperatoris; quam in rem extant Sigonii, Lib. 11. de Regn. Ital. verba: Nisi quod nonnulli commentum novum addant, Irnerium quidem è situ & pulvere Jus Romanum reproduxisse, usum autem ejus in foro, abrogatis aliis omnibus legibus, Lotharium iterum edicto publico confirmasse. Hoc quidem illi dicunt, sed rectius faciunt, qui illis fidem non habent. In re enim seria æq; perniciosum est, ficta stolide credere, quam falsa confingere. Et vellem sanè Edictum hoc Lotharianum aliquis nobis ostendisset. Quod cum hæctenus factum non sit, viderint Romani Juris Antecessores, dum sola principum conniventia Germanicarum Legum ritè confirmatarum usus aliquantum cessat, an earum auctoritas adeò sit imminuta, ut planè nulla amplius putetur. Hæc admittenda inquam*



quam ducimus, cum temporum & alia sua cautione. *arg. Ord. Jud. Aul. Caesar. tit. ult. §. pen. Conf. ex professo Conring. de Origine Juris German. cap. 21. Idem sentiendum de Jure Canonico, vid. Schilter. Inst. Jur. Canon. I. . I.*

2. Inter consuetudinis requisita positam invenimus rationabilitatem. *Jacob. Schultes. Part. 2. lib. 20. q. 76. At verò etiam si legis scriptæ illud sit essentialia, vix tamen constantèr idem asserere ausim de consuetudine, per actuum frequentiam, superiorisque conniventiam elicitâ & robur capeffente. Tametsi hoc ipso pravis consuetudinibus patrocinari minimè studeamus, loquentes saltem de eò, quod fit, non quod fieri Jus piùmque svadet. Neq; enim consuetudinum habenæ, tam sunt in manu & potestate superiorum, quam leges, quemadmodum ipse Salvator apud *Matth. 19. v. 8.* luculenter ostendit. Plures autem hujusmodi consuetudines tam olim quàm hodiè adhuc irrepsisse, luculento testimonio est mos *Judæorum* criminofum relaxandi circa sacra Paschatos. *Joh. 18. vers. 40. Matth. 27. vers. 26. Marc. 15. vers. 6. Luc. 23. vers. 17.* Hunc enim contra justitiam contendisse procul est omni dubio. In Imperio nostro itidem obtinuisse, exempla probant in *Recess. Imper. Anno 1559. §. und nachdem 35. Nemes. Carolin. artic. 218.* Inter hujus farinae, non immeritò retuleris Jus retorsionis erga injurias alicui illatas, etiam si à superiorum quodam indultu seu permisso sustentum asseratur. Est enim vindictæ genus, quæ non sunt in communicandorum censu, sed inter reservata Dei ejusdemq; immediatorum ministrorum, quorum personis vicariatus sui characterem imposuit, Magistratum nimirum terrenorum. *Rom. 13.**

3. Ex Jure Civ. Romanorum sanè non potest sibi ulla ratione præsidium spondere, utut textus nonnulli in speciem huc conferre non nihil videri queant. Ostendit hoc, *Legumq;*

gumq; harum argumentis respondet Bachov. ad Treutl. *Vol. 2. disp. 31. th. ult. Lit. E. F. G. verb. tractari hic solet.*

4. Toleratur itaq; in Republica ut quondam apud Judæos divortiorum praxis, tanquam ex permisis quoddam vid. Guil. Grot. *de Princip. Jur. Natur. l. 144. ff. de R. J. quorum & alia id genus nonnulla in aliquibus regionibus invalere, quæ in foro adsumuntur, intrinseca justitiæ moralitate ex se destituta.*

5. Nequaquam tamen Consuetudinibus irrationalibus etiam propriè & accurate loquendo, accenseri fas est Das grosse Zutrincken/quanquam nihil sit undiq; versum frequentius; propter Recess. Imp. Colon. *de Anno 1512. §. des gleichen wiewol. 2c. Reform. Polit. de Anno 1530. tit. vom Zutrincken. & de Anno 1548. ead. Rubric. tit. 8. ubi not. claus. final. wir wollen auch 2c. Et de Anno 1577. tit. von übermäßigen Trincken und Zutrincken. Ordin. Provinc. Saxon. de Anno 1482. tit. Es soll auch in Städten. & seq. & l. 2. C. Quæ sit longa consuet. Sed quid causæ, quod tot saluberrimis Principum præceptis, crapula, vesana bestia, caput tam præfractè opposuerit semper, & adhuc obduret? Causas quasdam vid. apud Brunn. *Proc. Inquisit. cap. 5. n. 8.**

6. Simillimæ fortis est singularium certaminum seu duellorum cacoëthes, quod, in Academiis præcipuè, tanto magis deplorandum & detestandum, quanto certius est, ea insuper jurisjurandi religionis abominabili contemptu perpetrari *can. 22. caus. 21. q. 5. Alciat. peculiar. dissert. hujus argum. vid. Frantzk. Lib. 2. Resol. 23. ubi non minus accurate quam piè rem examinat.*

IV.

*Exhibemus' ad disputandum sequentes Theses
ad titulum nostrum quadrantes.*

(1) In Deum Creatorem optimum & Legislatorem sapientissimum ingrati sunt querentes: Jus naturæ à nul-

nullo satis haecenus esse addoetum. Incusaretur
justius multo animorum inconsiderantia, volun-
tatisque imperium, quod tam illustrem salutarem-
ve notitiam, non satis excolere annitantur, excultamq;
amplecti atque exequi. Testatur id abunde Paulus
Gentium Doctor *ad Rom. 1. & 2.*

- (2) Pecuniarum in monetæ forma inventum appositissi-
mum præstat exemplum aut Objectum Juris Gen-
tium voluntarii sive positivi, quamquam ejusdem
usum Lycurgus, tanquam materiam omnis sceleris
ex sua republica sustulerit, auctore Justino *in Histor.*
Trop. Pompej. lib. 3. cap. 2. in fin.
- (3) Eligentis populi in se nulla potestas est conferendi im-
perium:
- (4) Hinc Tiberii i. e. Simulatoris, non cordati Politici
enunciatio est: *Principes esse mortales rempublicam vero*
aternam.
- (5) Princeps in Gubernatione reprehensibilitèr versatus à
multitudine argui criminis nequit.
- (6) An autem ipsi fieri possit denunciatio Evangelica? vi-
debimus.
- (7) Utrum Jctorum Collegia possint cogi ad responden-
dum de Jure? Ita sentit Glossa *in l. 2. C. de prox. sacror.*
scrip. ad verb. in confessum. & ad l. sancimus. 6. §. 1. verb.
arbitrium. C. de advocat. divers. judici. Cujus sententia
verior est arg. l. 3. §. 1. ff. de recept. arbitr. Et sequitur Fe-
lin. Sande ad capit. si pro debilitat. 3. §. de offic. & potest.
Judic. deleg. n. ult. Salycet. add. l. sancimus. Dissent. Spe-
culator & Bald. ap. Felin. allegat. loc.
- (8) Valent vero eorum responsa, etsi rationem non reddide-
rint. Ita Seneca *Epist. 14. Responsa valent etiam si ratio non*
reddatur. vid. l. 45. ff. de pecul. ibiq; Cujac.



Naturæ quid Jura queant; quæ corpore toto
 Et Coeli & Terræ recta, Deusq; probet:
 Quale sit officium brutis, hominum Superùmq;
 Quîq; Creatoris sit veneranda Manus:
 Cuncta cathedrali disquiris lemmate, FAUTOR,
 Sic placeasq; DEO, sic placeasq; Patri.

Gratulandi affectu adjecit.

PRÆSES.

Intima naturæ scrutaris viscera, AMICE!
 quæ brutis insunt abdita jura doces,
 Juraq; diversis populis sociantia gentes,
 per quæ jura regi Civis in urbe solet,
 Exprimit ut quodvis pictor mirabilis arte,
 sic tua depingit hæc tria jura manus.

*Pauca hæc Amico suo inter paucos charissimo
 gratulaturus adscribit*

Carolus Mauricius Hoffmann/
 LL. Stud.

Hocce Tuum specimen monstrat, quod, docte FABRICI,
 Jure ex naturæ bruta fera ac homines
 Participant, & habent unà commune; disertè
 Atq; doces, quid non spectet ad ambo simul.

*Prolixiori sinceritatis affectu, quam versu
 DNO. RESPONENTI, Concivi fidissimo,
 de primo eruditionis suæ Specimine pu-
 blico adgratulari voluit, debuit*

Johann. Andreas Schanert/
 LL. Cult.





Alldorf, Diss., 1687-89

X 242 1873

WMA







7

Fonte Salutis Dirigente!
DISPUTATIONUM CIRCULARIUM
TERTIA,
qvâ
INSTITUTIONUM IMPERIALIUM
TITULUM SECUNDUM,
De
JURE NATURALI
GENTIUM ET CIVILI
Lectioibus publicis dilucidatum,

uberiori disquisitioni,
unâ cum specilegio quodam juxta illum,

Moderante
FELICE *Spizen* / D.
earundem Prof. Publ. suâq; Facultatis
h. t. DECANO,

RESPONDENS
exhibet
JOHANNES GEORGIUS FABRICIUS,
Ohrdruvio-Thuringus.
Ad d. 18. Jan. Anno MDC LXXXIIX.

ALTDORFI,
Literis HENRICI MEYERI,
Univ. Typogr.